



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Defensio Abbatiae Imperialis S. Maximini

Zyllesius, Nicolaus

Treveris, 1638

1. Dagoberti Regis Decretum Datum Moguntiae, Anno XII. Regni eius.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14268



I.

*Dagoberti Regis Decretum datum Moguntia, Anno
XII. Regni eius.*

IN nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Omnium Christianorum nouerit industria, qualiter ego Dagobertus Rex potentissimus, Conuenienti consilio Episcoporum meorum, Comitumque legatos de mea parte ad Abbatem Memilianum direxi: mandans, & vt diligenter inquireret, mihi que per se ipsum indicaret, quibus authoribus illud Monasterium Sancti Maximini constructum, vel cuius Imperio à pristinis temporibus esset subiectum. Hanc legationem Abbas cum fratribus sollicitè percipiens, perlectisque in eodem loco quibusdam vetustissimis cartulis, inuentum est ipsum Monasterium Constantini Imperatoris fuisse regale templum, atque iussu eius dedicatum fore in honore Sancti Ioannis Euangelistæ à Sancto Agritio Venerabili Archiepiscopo: In quo videlicet templo, vt idem Pater Monasterij nostræ Regalitati certa relatione patefecit, Helenâ sacrâ famulâ petente & fauente, supradictus Imperator pauperes Christi congregauit, eis que virum Dei Ioannem præposuit, vt in seruitio Dei semper vacarent, & pro se orationibus insisterent, & insuper illius loci habitationem aliæ personæ noluit subdere, nisi suæ, successorumque Imperatorum potestati. His rebus ita esse firmiter intellectis, regio more constituo, atque firmissimâ iussione præcipio; vt nullus vnquam proteruè illud Monasterium, in quo Abbas supradictus præesse videtur, audeat inire, vel vllam inhumanitatem illi violenter inferre. Igitur vt assiduè recordatio mei, meorumque Parentum maneret in prædicto Monasterio, ipsorum Sancti Maximini præbendariorum victualia sub præmemorato Imperatore constituta, additis meâ ex parte prædijs augere curauit, quorum nomina hæc sunt: Kannis, Cressiacum, Luncwich, Regiodola Vallis, Polich, Budeliacum, Taleuant, Loauia. Hæc loca ad Regiam curtem, quæ dicitur Decima, pertinent. Quam curtem cum omnibus rebus ad eam pertinentibus, hoc est, quicquid prædij visus sum habere à fluuio, qui nuncupatur Rubera vsque ad syluam, quæ dicitur Ieder: Sancto Maximino Præsuli in perpetuam hæreditatem contradidi: Insuper etiam cum Consilio & rogatu meorum Principum cateruis inibi Deo deseruieribus, hanc legem firmiter ac perpetualiter in posterum habendam decreui, scilicet, vt centenorum ibidem summa Monachorum semper integra maneat & inconuulsa, excepto, si Imperatorum Principumue per sæcula succedentium beneuolentia prædijs augmentetur, vel thesauris: Et si propter Paganorum vel infidelium Christianorum deuastationem eisdem Christi seruatoribus penuria ultra modum ingruerit, & per thesauri effusionem expelli nequiverit, Dei omnipotentis & mei, meorumque Successorum habeant licentiam alodium cum fa-

milia à fidelibus illo contraditum dandi & vendendi, antequam Dei defruantur seruitia, & vt istius cartulæ confirmatio firma in æuum permaneat, describi eam præcepi, & nostro sigillo eam inde firmaui. Datum pridie Nonas Aprilis, Anno regni nostri XII. Moguntia felicitèr. Amen.

Signum
cellarius ad
cognoui.



Dagoberti Regis. Henricus Can-
vicem Ricolfi Archicapilani re-



2.

*Gregorij II. Pontificis Max. Bulla Data In-
dictione XII.*

Gregorius Episcopus seruus seruorum Dei, Basino Abbati Venerabili Monasterij Sancti Ioannis Apostoli & Euangelistæ, atque Sanctissimi Confessoris Christi Maximini, cuius corpus ibidem quiescit, tibi, tuisque Successoribus salutem & Apostolicam benedictionem. Si semper sunt concedenda, quæ piis desideriis congruunt, tanto propensius ea, quæ pro diuini cultus religione postulantur, alacri deuotione, & omni occasione remota, beneuolâ intentione continuò sunt largienda. Petisti igitur nos, vt Monasterio tuo, quod in suburbio Treuironum in honorem Sancti Ioannis Euangelistæ constructum esse dinoscitur, vbi prænominatus Christi Confessor quiescit, ob confirmandum Fratribus ibidem Deo seruientibus monasticæ tran-

quilli-